

+

Ill/me Domine.

2597

Pax Christi.

Non parum indolui cum intellexi Ill/mam D.V. sententiae illi, quam de Praedestinatione tradidi, adversari. Accidit id mihi plane praeter expectationem, quod putarem eam sententiam ante annos 23, cum controversia de hoc articulo et aliis quibusdam mota esset, Ill/mae D.V. iudicatam non improbabilem; nunc vero illam video ab ea reijci~~tanquam~~ tanquam erroneam utprote scripturis et sanctis Patribus, qui contra Pelagianos et/orum reliquias scripserunt, adversam. Verum confido fore, ut ubi mens mea penitus introspecta fuerit, non adeo sit displicitura: Scio enim hanc meam Disputationem in variis Provinciis, multis viris doctissimis tum externis, tum Nostrae Soc/tis probari: Nec quisquam est ex DD. et Professoribus Lovaniensibus, et/si olim infesti fuerint, qui eam non sentiat probabilem.

Scribit 1º Ill/ma D.V. se nuper ex opere meo cognovisse sententiam meam esse, Praedestinationem absolute et simpliciter pendere ex operum praevisione; ut non Praedestinatio, sed Praescientia solum proprie dici possit. Verum haec verba in opere meo non invenientur. Clarissime enim doceo n. 4. neminem posse mereri ne ex congruo quidem suam Praedestinationem: ac proinde ipsam non pendere absolute ab operum praevisione. nec obstat, quod doceam Praedestinationem, quo ad sui complementum, et prout se extendit ad beneficia posteriora, pendere ex operum praevisione; atque adeo quod haec ratio providentiae, qua Deus cum salvandis utitur, habeat rationem compleiae Praedestinationis, id esse dependens ab usu donorum gratiae. Hoc enim etiam docent Molina, Vasquez et Valencia, ut in alio scripto ad tertiam propositionem ex ipsorum verbis ostendi. nec video qua ratione id negari possit, si termini bene intelligantur. Hinc tamen non sequitur, Praedestinationem absolute esse ex meritis; aut Praedestinationem, quam ponimus, non esse proprie Praedestinationem, sed Praescientiam, sed bene sequitur Praedestinationem involvere et supponere praescientiam; quia quatenus se extendit ad dona posteriora, supponit praescientiam usus donorum priorum;

ut quidem DD. tradunt; et aperte colligitur ex S.Thoma 1a p. q.23 art.5 et 3.p. q.1a art.4.

2597

Deinde rogit Ill/ma D.Va ut sequentia Capita considerem.

Primum est, Sententiam Praedestinationis mere gratuitae in S.Augustino esse tam apertam et manifestam, ut dubitari ea de re non possit, nisi ab ijs, qui Augustinum non legerunt.

Ita plane est, nec ego unquam de ea dubitavi, quia ad fidem pertinet, ut ipse ex S.Augustino doceo. Praedestinationem enim esse gratuitam apud Augustinum non est gloriam, aut totam gratiarum seriem, quibus homo gloriam certissime obtinebit, esse praedestinatam gratis ante praevisionem operum gratiae, quibus gloriam meremur, non esse ut existimant modo quidam DD. recentiores; sed est gloriam, et munera gratiae, quibus gloriam meremur, non esse praedestinata ex meritis solius liberi Arbitrij, ut volebant Pelagiani, et ex parte semipelagiani. Itaque Praedestinatio Gloriae, et posteriorum Gratiae beneficiorum ex meritis Gratiae prioribus nullo modo obstat gratuitae praedestinationi. //

Addit Ill/ma D.V. proferre me pauca quaedam loca partim ex libriss, qui non sunt Augustini, partim ex libriss Augustini, sed per consequentias non necessarias deducta; cum in ipso Augustino sint infinita loca per expressa verba contrarium clamantia. Fateor non ita multa loca me produxisse. Causa est tum quod S.Augustinus ex professo nusquam tractavit hanc quaestionem: an videlicet electio absoluta ad Gloriam facta sit ex meritis Gratiae, an gratis ante omnem operum bonorum praevisionem; tum quia ex paucis, quae adduxi, puto satis clare convinci S.Augustinum non negare Electionem ad Gloriam ex meritis Gratiae, imo eam saepius aperte insinuare. Ad quod ostendendum opus interdum fuit ratiocinationis et consequentiarum praesidio, quae an firmae sint, lectorum iudicio permitto. Certe ijsdem usi sunt viri doctissimi Gregorius a Valencia et Gabriel Vasquez, et Molina, ut alios omittam. Si tot sunt loca S.Augustini contrarium expresse clamantia, nempe Electionem ad Gloriam non esse factam ex meritis gratiae (hoc enim est contrarium eius, quod nos ibi ex Augustino probare contendimus) valde mirum

est istos DD. id non advertisse, et tanto conatu istam absolutam Electio-
nem, quae omnia merita praeveniat, oppugnare. Quod enim S. Augustinus ubi-
que inculcat, et expressis verbis profitetur, non potuit illis esse obscu-
rum. Rursus si tot locis haec doctrina a S. Augustino expressis verbis tra-
ditur, non est dubitandum, eam ad fidem pertinere, et sine gravi errore ne-
gari non posse. Non enim solet prudentissimus ille Doctor quidquam nisi
plane certum toties inculcare, urgere, confirmare. Itaque fidei dogma erit
omnes salvandos ante omnem operum gratiae praevisionem ad gloriam esse
absolute electos: quod sane non est credibile.

Tractatus illos ad quos Ill/ma D.V. me remittit legi non semel, praeser-
tim ep. 106. 106. 107, lib. de Praedestinatione SS/orum, de bono Perseveran-
tiae, et de Correptione et Gratia, et horum etiam analysis et compendium
olim feci. alia etiam loca saepius expendi, compellente controversia, quae
de~~et~~ Gratia et Praedestinatione hic longo tempore viguit. Verum omnibus pro-
be discussis, et considerato S. Augustini scopo, magis magisque in ea sen-
tentia fui confirmatus, ut existimarem S. August. nusquam statuere praeviam
illam Electionem ad Gloriam, sed solum ad munera Gratiae, quibus salvamur;
neque unquam negasse Electionem ad Gloriam, aut ad Gratiae beneficia ex
praescientia operum Gratiae; sed solum ex Praescientia operum solius libe-
ri arbitrij. Haec ubique videtur esse mens S. Augustini. Quod etiam fuse
ostendit Gabriel Vasquez 1^a parte dis. 89 et 3.p. disp. 23^a. Unde etiam pla-
ne existimo doctrinae S. Augustini non esse consentaneam opinionem eorum,
qui totam seriem gratiarum, quibus Electi infallibiliter salvantur, putant
esse praedestinatam ante omniam operum Gratiae praescientiam, sive quod
idem est, homines ad totam illam Gratiam infallibiliter salvantem esse E-
lectos ex nudo Dei beneplacito. Sicut enim posteriora dona in tempore non
conferuntur nisi dependenter a bono usu priorum, ita neque in aeternitate
sunt praedestinata, nisi supposita praevisione illius boni usus: ut aperte
ex ipso August. colligitur libro de Praedestinatione SS/orum c. 10 et alibi.
Alio tamen sensu fateor Gratiam infallibiliter salvantem non esse ex meri-
tis, nimirum quia non est ex meritis solius liberi arbitrii, ut volebant

Pelagiani et eorum reliquiae; quo sensu negat Augustinus Praedestinatio-
nem esse ex meritis aut ex praescientia meritorum.

Ad locum illum, qui profertur ex libro de Correptione et Gratia cap.7.
ubi cum dixisset Augustinus Electos non ex meritis, sed ex misericordia
Dei separatos esse a reprobis, addit Electos esse ad regnandum cum Chris-
to. Et cap.13 Praedestinatos esse ad Regnum Dei. Ad hunc, inquam, locum re-
spondi tractatu de Praedestinatione n.43. Si vacaret Ill/mae D.V/ae roga-
rem eam ut dignaretur illa expendere. Ad eundem locum respondit Gabriel
Vasquez 1^a p. disp.89^a cap.8.n.70 et 3.p. disp.23.cap.7.n.78, et osten-
dit nulla probabilitate ex hoc loco colligi Electionem absolutam ad Glo-
riam ante praevisa merita Gratiae. Quod enim non excludat August. merita
Gratiae, vel ex eo perspicue colligi videtur, quod loquatur de discretio-
ne illa, qua electi e reprobis discernuntur in tempore. discernuntur, in-
quit, non meritis suis, sed per gratiam Mediatoris: hoc est, in sanguine
secundi Adam iustificati gratis. Atqui certum est non sola misericordia
exclusis meritis gratiae discerni in tempore, sed meritis gratiae. Itaque
non videtur dubium, quin solum excludat merita solius liberi arbitrii,
quae Pelagiani et eorum reliquiae electioni ad gloriam et gratiae benefi-
cia supponebant.

Secundum Caput est, post Augustinum, nullos fuisse SS/os DD. qui eum non
sint secuti etc.

Fateor plane ita esse, et hoc ipsum certum signum est doctrinam, quam
S. Augustinus de Praedestinatione tradit, esse fidei dogma, ac proinde fas
non esse ab ea recedere. sed quaestio est, quanam sit hic doctrina. Ego
cum multis viris doctissimis existimo, hanc doctrinam esse eam, quam ipse
contra Pelagianos et eorum reliquias tam acriter defendit, quae etiam a
Senata Sede Apostolica fuit approbata. Nunquam autem quaestio fuit contra
Pelagianos aut Massilienses, utrum homines ex meritis Gratiae, an ex nudo
Dei beneplacito ante omnem talium meritorum praevisionem absoluto decreto
ad gloriam eligerentur: sed utrum ex meritis solius liberi arbitrij ad
gratiam vel gloriam eligerentur. Quod quia aliqui recentiores non adver-

terunt, in intelligentia S. Augustini decepti sunt, ut inquit Vasquez 3.p. disp. 23. cap. ultimo. Itaque doctrina S. Augustini de praedestinatione, quam omnes SS¹ DD. secuti sunt, est gloriam hominibus non esse praedestinatam ex meritis solius liberi arbitrii, seu homines ob huiusmodi opera ad gloriam non esse electos; Item gratiae beneficia, quibus salvamur ex huiusmodi meritis non praedestinata; seu homines non esse praedestinatos ad beneficia gratiae propter bonum usum liberi arbitrij. Huic doctrinae non repugnat, si dicamus absolutam electionem ad gloriam non esse factam ex nudo Dei beneplacito ante praevisionem meritorum Gratiae; et totam Gratiam qua infallibiliter salvamur, non esse praedestinatam ante praevisionem meritorum Gratiae.

Quod ad DD. Scholasticos attinet, pauci sunt ex antiquioribus, qui illam praeviam electionem ad gloriam agnoscunt: ut optime ostendit Vasquez. Sane S. Bonaventura, quem aliqui illi sententiae favere putant in 1° distinct. 41. q. 2. n. 15 expresse docet, si poneretur illa praevia electio et reprobatio, non fore inscrutabile cur Deus huic det gratiam, illi non det. in promptu enim cuilibet fore rationem, quia ille est electus, ille non est electus.

Tertium Caput. Sententiam S. Augustini esse valde conformem Scripturis SS/is et Concilio Tridentino etc. Fateor ita esse, fateor Scripturas et Concilia referre praedestinationem ad arcana Sapientiae Dei investigabilia. Verum hoc ipsum signum est non subesse praeviam illam ex nudo Dei benplacito discretionem, ut ex S. Bonaven. dictum est. quomodo autem ea quae ad praedestinationem pertinent inscrutabilia dicuntur, explicati fusius in tractatu de praedestinatione n. 45 et 46. fateor fidem, poenitentiam et perseverantiam esse dona Dei, non solum ratione auxiliij, quo datur posse, sed etiam ratione Gratiae infallibilis, qua datur ipsa actio, ipsum credere, poenitere, perseverare infallibiliter. nego tamen hinc recte inferri istas actiones vel hoc totum auxilium fuisse homini absolute praedestinatum, et praeparatum ante omnem praevisionem determinationis liberi arbitrij. Auxilium enim divinae cooperationis seu adiutorium Gratiae, quod ma-

xime ad illas actus est necessarium, non est absolute decreto praedefinitum / ante praevisionem nostrae voluntatis determinationem, ut etiam docent Molina, Valencia, Vasquez, qui putant cum tali praedefinitione non posse consistere libertatem arbitrij; et series illa auxiliorum quibus perseverantia ipsa praestatur, non est decreta in eodem rationis signo, sed posteriora propter bonum usum priorum, ut communiter docent DD.

4^{um}. Sententiam gratuitae Praedestinationis esse iam stabilitam in Soc^{te} nostra etc. Fateor ita esse, si per gratuitam Praedestinationem intelligamus eam, quam tuetur S. Augustinus. Si vero intelligatur illa qua gloria statuitur absolute decreta ante omnem operum praescientiam, non video quomodo sit stabilita in Soc^{te} cum Soc^{tis} professores passim per Germaniam, Galliam, Belgium plurimis annis contrarium docuerint, et interdum etiam per Italiam et Hispaniam: et celeberrimi Soc^{tis} scriptores Ludovicus Molina, Gregorius a Valencia, et Gabriel Vasques, illam sententiam ex professo refutaverint. Nec obesse, quod olim aliquot Patres eam tradiderint, quia ante Molinam plerique per Italiam et Hispaniam ponebant gratiam praedeterminantem, eamque putabant ex Sententia Augustini necessariam ad singulos actus, et contrarium censebant errorem Pelagianum, qua sententia posita non poterant non statuere illam praeviam electionem et reprobationem. neque id mirum videri debet, quia Dominicanorum discipuli vel eorum, qui eam a Dominicanis hauserant, fuerant. Verum postquam satis ostensum est praedeterminat^{em} Gratiam non esse admittendam, nec eam S. Augustini fuisse sententiam, nulla amplius subest ratio ponendi illam praeviam salvandorum et reprobatorum ex mero Dei beneplacito discretionem, aut omnium operum bonorum absolutam praedefinitionem. facit sapienter Soc^{tas} quod in hac re iubeat a sententia S. Augustini non recedi: nunquam tamen Soc^{tas} declaravit Sententiam Augustini in illa praevia discretione ex nudo Dei beneplacito concepta consistere. Expedit, ut quamdiu res est obscura et de sententia S. Augustini passim non satis constat, libertas relinquatur, ut quam diligentissime discutiatur: sic enim dies omnia patefaciet.

5. Non sine causa S. Augustinum, S. Prosperum et multos modernos existi-

masse Praedestinationem ex operibus praevisis pertinere ad Pelagianismum
1° quia, qui ita sentiunt non videntur admittere nisi gratiam qua possimus, non autem qua ~~velimus~~ et faciamus, 2° quia interrogati, quis discernit iustum ab impio, quando uterque habet gratiam praevenientem, respondere coguntur, Cooperatio liberi arbitrij, non autem Gratia Dei; 3° quia non videntur agnoscere necessitatem orationis, sed solam utilitatem. Nunquam S. Augustinus vel Prosper existimavit ad Pelagianismum pertinere Praedestinationem Glorie ex meritis Gratiae; sed sola Praedestinationem Glorie vel Gratiae ex meritis solius liberi arbitrij. Idem mirum sentiunt Viri doctissimi, et in Augustino versatissimi tum saeculares tum Religiosi. Probat id fuse Gabriel Vasquez 1^a p. disp. 89. et 3. p. disp. 23 ubi dicit recentiores, qui id existimant valde hallucinari; nec dissentit Suarez etiamsi sententiam diversam tueatur. putat enim Augustinum non contra Pelagianos vel eorum reliquias, sed contra aliquos Catholicos illam sententiam de Electione ante praevisa merita tradidisse: Scio quosdam recentiores, ut Patrem Augustinum Iustinianum et alios nonnullos ita sensisse: sed id mirum non est, quia putabant ad Pelagianismum pertinere, si gratia praedeterminans ad singulos actus negaretur.

Ad primum, absit, ut solum agnoscant gratiam qua possimus non autem qua ~~velimus~~ et faciamus, cum nullum bonum opus ad pietatem pertinens sine peculiari gratiae adiutorio fieri posse diserte doceant. nec video qua specie rationis id ex eorum sententia deduci queat. Nullo enim modo sequitur: electio absoluta ad gloriam et ad posteriora gratiae beneficia facta est ex meritis gratiae; ergo ad bona opera non requiritur adiutorium gratiae. fateor tamen si per adiutorium Gratiae, et per gratiam qua faciamus intelligatur gratia praedeterminans (ut alii multi intelligebant, et modo adhuc intelligunt Patres Dominicanii) hoc senam recte sequi ex nostra sententia non requiri gratiam qua faciamus, quia gratia praedeterminans non requiritur, sed prorsus excluditur.

Ad 2/um. duobus auxiliis sufficiens ad conversionem habentibus, altero consentiente, altero dissidente, certum est eum qui consentit et iusti-

ficatur, discerni ab altero, cooperatione liberi arbitrij; ante enim co-operationem erant pares. hinc tamen nullo modo sequitur, non discerni gratia, quia illa cooperatio fit viribus Gratiae. nisi enim Gratia simul iuaret liberum arbitrium ad consensum, nunquam posset consentire sicut oportet ad salutem.

Ad 3. non intelligo qua probabilitate sequatur: Deus non elegit homines absolute decreto ad gloriam, nec ad posteriora gratiae beneficia, nisi ex praevisis meritis gratiae: ergo hominibus oratio non est necessaria. nam contrarium potius ex huiusmodi fundamento recte quis colligat; ut insinnavi in illo tractatu n. 84 et 85. Si ~~enim~~ totum negocium salutis postquam iustificati sumus, pendet ex nostris operibus, per gratiam factis, debemus esse quam maxime solliciti, ut nobis assidue gratia suppeditetur, qua re ipsa tentationes vincamus et perseveremus. At ex contraria sententia perspicuo tolli videtur orationis necessitas, et utilitas, et omnis sollicitudo. si enim et salus aeterna, et omnia electorum opera, et omnis Gratia, qua infallibiliter salvantur, est praedestinata ex nudo Dei beneplacito ante omnem operum bonorum praevisionem, quid opus est ut sint solliciti, quid interest, sive parum sive multum, sive nihil orent, quia ex vi divini decreti omnia evenient? Deo incumbit, ut ~~decreta~~ sua impleat. Haec, inquam, et similia multo probabilius ex opposita sententia deduci videntur, ut in tractatu de praedestinatione n. 14 ratione 5^a ostensum est.

6. Sententiam de Praedestinatione ex operibus praevisis esse noxiā nos-trae Soc/ti q uia coget nos semper dimicare cum Dominicanis, Franciscanis et Augustinianis, etc. Sententiam de Praedestinatione absoluta Gloriae ex praevisis meritis Gratiae coram Deo, qui me iudicaturus est, iudico non ~~se~~- solum esse ~~verissimam~~ et Scripturis et SS/~~is~~ Patribus ac praecipuis DD. Scholasticis consentaneam, sed etiam Soc/ti et Ecclesiae maxime utilem et salutarem; ut quae magnam consolationem conscientiis adferat, sollicitudinem salutis et omnis boni operis excitet, ut haereses huius temporis perspicue refellat. contrariam vero (ut mitissime dicam) ingenii et conscientiis molestissimam, ut multi Viri doctissimi ostenderunt. Neque

propter illud metuenda aliqua molestia ab illis Ordinibus, quia nihil novi hic traditur, quod non antea a Molina, Valencia, Vasquez, Turriano, et aliis plurimis litteris commendatum est. Postquam nihil contra Molinam obtinuerunt, non poterunt sperare se hic aliquid in posterum obtenturos. Res enim magis magisque elucescit, adeo ut multi qui ante alterius partis fuerant, ad hanc accedant. Umbra illa Pelagianismi parvi facienda videtur, quia haec ob negatam gratiam praedeterminantem obijci solet non ob electionem ad gloriam ex praevisis meritis gratiae. facillimo negotio ostendi potest hanc sententiam longe ab errore Massiliensium et Pelagianorum abesse: et fuse id demonstrat Gabroiel Vasquez 3.p. disp. 23. Obiecerunt olim Lovanienses videri hanc sententiam accedere ad errorem Massiliensium, ^{ysi sint} sed ita eis responsum est, ut postea hoc argumentum nunquam urserint.

Addit Ill/ma D.V. quod hinc notabitur Soc/tas magnae levitatis, et dissensionis inter nos: sed iam ante Turrianus, Molina, Vasquez istam sententiam tradidere. neque tunc timebatur haec dissensionis nota. fieri nequit in Principio, omnes DD. Soc/tis consentiant. Multa ante non satis fure discussa; quae sensim aperiuntur, ut patet in q. de Gratia praedeterminante, de Praedefinitione omnium operum etiam malorum, de concursu Dei liberum arbitrium praeveniente, et aliis multis, quae maximo Ecclesiae bono in lucem per Soc/tis DD. eruta [sunt]. Itaque etsi initio sit aliqua dissensio, sensim tamen tententia verior invalescit, et omnes tandem revocantur in consensum. quod omnino credibile est futurum in hac quaestione. Experti id sumus in Belgio, tanta enim sunt ex Scripturis, Patribus, Doctoribus Scholasticis et ratione firmamenta, ut intellectum, qui bene omnia expenderit, convincere videantur.

Itaque rogo humiliter, Ill/mam D.V. ut patiatur hanc rem a nostris DD. qui sunt in variis Provinciis, diligenter et mature discuti. Ego scripsi quae vera et salutaria coram Deo Judice meo existimavi. Exposui Scripturas et D. Augustinum bona fide. Legi ante multos annos obiter valde quae hac de re scripserunt Patres nostri Ludovicus Molina, Gabriel Vasquez et Gregorius de Valencia. nullo tamen illorum usus sum cum ista scriberem,

sed solis Scripturis et Patribus. Verum postquam isthic mota mihi fuit controversia, coepi illos diligenter evolvere, et deprehendi eos mirifice mea omnia confirmare et eodem fere modo Scripturas et S. Augustinum interpretari. Non parvum hoc videtur signum Veritatis et non contortae interpretationis. Si vacaret Ill/mæ D.V. per gravissima Ecclesiae Universalis negocia istis speculationibus intendere, rogarem eam ut dignaretur istorum Patrum scripta cum meis conferre, et totam quaestionem a fundamentis discutere. Verum quia maioris momenti negocia id non permittunt, rogo ut tempus concedatur nostris Professoribus, qui sunt in variis Provinciis, diligentissime examinandi, et eorum iudicia audiantur. Ego in toto hoc negotio nihil nisi maiorem Dei gloriam et solatium animorum spectavi. Divina Bonitas Ill/mam D.V. Ecclesiae suae totique Soc/ti quam diutissime in colum et florentem praestet, cuius sanctissimis precibus me commendo quam humillime. Lovanij 18. feb. 1611.

Arch.Pont.Univ.Greg. cod.540 (ex Bibl.priv.P.Petri Beckx) signatum foris:

"Lessius. de gratia congrua." apogr. Lovaniæ factum iusso Lessii
Idem Gandav. Bibl. Semin. Mayri, codex : difficultates
circa opusculum Lessii de gratia et praestatione circa
annum 1610.

Collectionem (lect. variantes ex Codice Gandavensi: Le Bachelet,
Præstation et grāce efficace pag. 189-199 cum
notis quibusdam et introductiōne pag. 187-189.